salem & sub quo urbs capta est atq; subuersa. praecipitur q; hieremiae
ut catenas siue furcas ligneas quae ut diximus hebraice appellan
tur. muttoth. inponat collo suo & mittat eas ad reges edom. moab.
filiorum ammon. tyri. sidonis. per legatos qui uenerant ad sedechiam.
& praecipiat suis dominis nuntiare quod regi nabuchodonosor seruire
debeant. & audire quae sequens prophetae sermo prosequitur. ac ne
forsitan legati & reges istarum gentium responderent cur hoc tuo po
pulo non praecipis. sedechiae quoq; regi similia loquitur. & sacerdo
tibus ac prophetis. hunc locum allegoricus semper interpres & histo
riae fugiens ueritatem interpretatur de caelesti hierusalem quod
debeant habitatores eius sponte adsumere corpora. & descendere
in babylonem. id est confusionem mundi istius qui in maligno positus
est & seruire regi babylonio haud dubium quin diabulo. quod si hoc fa
cere noluerint. nequaquam eos grauia corpora portaturos. sed pe
rituros gladio & fame. & peste. & nequaquam homines futuros sed
daemones. hoc ille dixerit ne defensores eius nobis calumniam faci
ant. ceterum nos simplicem & ueram sequamur historiam. ne quibusdam
damnubibus atq; praestigiis inuoluamur. Ego feci terram & homi
nem & iumenta quae sunt super faciem terrae. in fortitudine mea
magna & in brachio meo extento & dedi eam ei qui placuit in oculis
antrωs o πι τος
meis. Licet ΑΝΘΡΩΠΟΠΑΘΩC haec scriptura loquatur. quo
modo nos homines loqui possumus & intellegere. tamen fortitu
do di & brachium eius ille est. de quo & apostolus loquitur. xps di
uirtutis & di sapientia. & isaias. dne quis credidit auditui nostro.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0272